

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

II.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

universa Ecclesia nostra istic. Sarciet filius meus hoc temporis, diligentia,
& commoditate ministeriorum atque officiorum suorum. Amen.

*Vester totus ut semper minister & frater, omnium
vest. studiosissimus*

Mart. Bucerus.

II.

GRatiam & pacem, à Domino nostro Jesu Christo. Superiore anno, Collegæ venerandi & charissimi, petii à charitatibus vestris, ut annum abessendi à collegio mihi concederetur, cum permissione eorum fructuum, qui alias absentibus concedi solent. Vos autem pro vestra humanitate, & benignitate, non hoc solum mihi concessistis: verum multa adiecistis, quæ jure petere non poteram, nec debebam. Pro quo beneficio, egi per literas charitatibus vestris gratias. Quas literas, spero vobis esse præsentatas. Jam, optimi Viri, ministerium meum hic sacras literas prælegendi, hæcenus beneficio DEI, haut fuit inutile, utque illud præstem, summa fide, postulat à me, per magna, cum serenissimi regis, tum aliorum aliquot procerum & piorum hominum, declarata in me benignitas. Dominus autem me, ab Augusto superioris anni, gravissimis morbis cœpit erudire, quibus nec hodie in totum sum liberatus, tametsi illos multum rursus mitigaverit, jam à mense, sicut etiam fecerat à calendis Januarii, usque in Martium, quo tempore morbi illi, violentius propè recruduerunt, quam scævierunt initio. Hinc verò factum est, ut paulum supra tres menses, munus meum potuerim obire. Cum itaq; existiment primores hic, operam meam non parum ad regni Christi restitutionem, in hac Insula collaturam, religio mihi est, eam Ecclesiis hic, non ad unum abhuc annum navare, præsertim, cum res nostræ isthic Ecclesiæ, sic habeant, ut mei hoc tempore perexiguus apud eam usus, sperari possit. His de causis, à charitatibus vestris rogo atque oro, ut adhuc annum mihi concedatis hic Christo Domino & ejus Ecclesiæ ministrandi. Confido enim quod ad Decanalem pertinet functionem, procurante eam, eximio viro, & Clarissimo compatre meo, Domino Petro Dasypodio, nihil desyderari, à quo spero, & vos, atq; me impetraturos, ut eam curationem unum adhuc annum sustineat. Sic quoque rebus ad Decanatum pertinentibus, major parabitur accessio, etiam successoribus profutura. Opto vos omnes cum nostris
rectis-

A. 1551.

PARS SECUNDA.

rectissime, & diutissime valere, causamque regni Christi, apud vos agere fortiter & feliciter. Cantabrigiæ 12. Maji 1550.

deditus charitatibus vestris

Mart. Bucerus, Decanus.

III.

S D. Clarissime D. Doctor, patrone colende! Summum hunc capio meæ peregrinationis fructum, quod & vidi plerasque superioris Germaniæ Ecclesias, & cum præcipuis earum gubernatoribus, pietate doctrina & virtute præstantibus conjunctionem inchoavi. Ac inprimis mihi grata est recordatio gravissimi colloquii tui, quo & de multis maximi momenti negotiis graviter me & pie erudiisti, & tuam erga me benevolentiam ac humanitatem veri amoris plenissimam perspicue declarasti. Quare reverenter tibi gratias ago, & polliceor perpetuo, me memori ac grata mente tuam benignitatem conservaturum esse. Reverenter etiam à te peto, ut memoriam meî aliquâ cum benevolentia retineas: Ex qua, etsi fructum capere fortassis nullum potes, tamen te virum tali præditum doctrina & sapientia, ut cæteras virtutes, ita amicitias quoq; non fructus sed honestatis causa colere scio. Dabo autem operam, ut mea observantia & qualibuscunque officiis assidue tibi declarem magnæ me felicitatis loco ducere, quod facultatem mihi DEUS tecum contrahendæ necessitudinis præbuit, ac ut testimonium meî erga te grati animi haberes, hanc ad te epistolam misi, cujus squalori ut pro tua facilitate veniam des, amanter oro. Ut enim apud Xenophontem dicitur *ἀδύνατον πάλαι γράμματος ἀνθρώπων πάντα καλῶς ποιεῖν*, ita cum hoc nundinarum tempore multæ mihi simul epistolæ sint scribendæ, non possum singulas ex polire ut vellem. Dei beneficio in Ecclesiis & politiis harum regionum tranquillitas est mediocris. Nulla adhuc doctrinæ vel rituum mutatio instituta est, nec deinceps ut speramus urgebitur. In Academia & auditorum numerus est amplissimus, & operæ scholasticæ sunt mediocri sedulitate. Urbs Parthenope difficili & aspera obsidione premitur ab exercitu ducis Mauricii. Nobis unum hoc dolorem auget, quod eos viros, qui impedire tyrannorum furores debebant, & aliquo modo poterant, videmus in sinum lætari, his honestissimæ reipublicæ ærumnis. Sed Deum oro, ut ipse aliquas politias, quæ Ecclesiæ hospitium præbeant, clementer tuëatur. Martinus Gandavensis nunc Lubecæ vivit, ac Rostochium accessit, ut Ebraicam linguam ibi doceat. Quare spero nos brevi in ea Academia conventuros esse. Nam ante sex menses ego quoq; Principis literis eo advocatus sum. Mitto tibi orationem editam, cujus lectio-